

William Darell
The history of Dover castle
London
1786

<engraved title-page>

THE
HISTORY
OF
DOVER CASTLE,

BY THE REVD. WM. DARELL
Chaplain to Queen Elizabeth.

ILLUSTRATED
with 10 Views, and a Plan of the Castle.

<vignette>

London Printed for S. HOOPER No. 212, High-Holborn, facing
Southampton Street, Bloombury Square. 1786.

<iii>

Ornatissimo Viro, et omni Honoris et Virtutis laude accumulato, GULIELMO
COBHAMO, Regulo, Dubrensis Castellii Constabulario, et Quinque Por=
tuum Præfecto, GULIELMUS DARELLUS, Serenissimæ ELIZABETHÆ Reginæ,
a Sacris summam et in Honoribus adipiscendis Beatitudinem, et perfectam
integræ Valetudinis conservationem optat.

Duæ res, honoratissime Vir, grati hominis animum excitare solent: hæ ambæ me
incredibiliter ad scribendum commovent in hoc tempore, tuorum erga me meritorum
memoria, et datæ fidei recordatio.

iv

Nam cum tua in me clarissima vel maxima beneficia excitarent nullam grati animi
significationem literis complecti, plenum inhumanitatis crimen esset. Et cum sape
tibi pollicitus sum, me illius castelli cui tu præes et ortum et incrementa literis manda=
tuum, non promissione incitari vereor ne hominis valde sit incogitantis. Sed cum
ipse mecum considerassem et rei difficultatem, et meam orationis imbecillitatem, et
iniquorum hominum in calumniando improbitatem, quasi desperatione debilitatus
experiri nolui, quod et mihi in exordiendo summum laborem imponeret, et jam per=
fectum magnam dicacibus hominibus salis materiam et facultatem præberet. Cum
tamen meritorum tuorum erga me magnitudo, et promissi æquitas me ad officium revo=
carent, decrevi rei ipsius difficultatem labore, hominum calumniam patientia superare,
et in hac causa, quæ tibi consecrata est, ad tuam dignitatem confugere, et in tuo
nomine quiescere.

v

Nam si negarem, me, Gulielmo Cobhamo regulo negare nihil aut petenti velle,
aut postulanti posse, aut flagitanti audere, esset, meo quidem iudicio, justa excusatio
et plena pietatis defensio. Sed si admirabili quodam in patriam amore clarissimum
nostri regni propugnaculum non satis Latinis literis illustratum, monumentis con=
signatum reliquero, erit (ut mihi persuadeo) materies digna, in qua omnium erudi=
torum curæ et cogitationes evigilarent. Etenim si exterarum gentium res gestæ vel
ineptæ literis mandatæ homines ulla urbanitate limatos non mediocriter delectent: et
si ipso annalium ordine et quasi fastorum enumeratione mirabiliter capiamur: eos
qui in patriæ rebus enarrandis studium et operam posuerint, laude potius et honore
decorandos, quam pœnis et vituperatione prosequendos duco.

vi

Sed cum nonnullos tam depravatæ naturæ esse cognoscam, ut acutius scribentis
vitia intueantur, quam bene dicta imitentur, per se mihi caveo, et ad excusationem
tum honorati tum ornati hominis patrocinium quæro. Cui, quod tui vel hortantis,
vel jubentis, vel flagitantis, autoritati cessi, vel parui potius, si te non modo æquum

judicem, sed studiosum contra malevolorum et iniquorum sermones patronum præbeas, et mihi plura cupienti scribere ad reliqua perficienda dabis animum, et omnibus ad bene de tua mansuetudine sperandum quasi signum aliquod propones, et me tibi devinctum reddes memoria beneficii sempiterni. Vale!

<1>

CAPUT I.

Instituenti mihi de Dubrensis Castellis primis quasi initiis, de incredibili in eo progressu, et summis hominibus qui supremum in eo magistratum gesserunt, scribere, variæ summorum auctorum et inter se discrepantes occurrunt, et de nomine et de origine Castellis tam præclare consituti, opiniones.

2

Nam Johannes Lelandus, cui in antiquitatibus omnes nostræ ætatis homines concesserunt, ideo illud nomen suffragantis populi voce oppido concessum esse potat, quod ex illius montis radicibus admirandæ cujusdam serenitatis aquæ effluerent. Neque quicquam illi de commutati nominis ratione venit in mentem, neque illud oppidum esse putat quod antiqui homines Rupecestrum dicebant, neque Rutupinum littus in illis locis positum existimat: sed et oppidi et portus nomen ad Sandwicum transfert. Quæ etsi erant ab homine longe peritissimo scripta, neque mihi, neque his qui ante illius ætatem scripserunt, quantum ex illorum monumentis assequi possumus, probantur. Neque enim mihi persuadere possum Sandwicum illud oppidum esse quod antiquitus Rupecester dicebatur: cum hoc post devictam a C. Julio Cæsare Britanniam incœperit, et eo in loco, in quo Sandwicum ponitur, nulla extarent ante Canutum, aut ejus quod nunc est nomen, aut veteris alicujus eversi monumenta. Hoc etiam antiquæ nostræ gentis literæ testantur, illud, quod se in eum diffundit, mare, antequam, Canuto sic imperante, Sandwicum ad recipiendas Danorum copias publice exædificaretur, Wantsumum mare fuisse appellatum. Sed hoc ad convellendam illam opinionem maxime valere puto, de quo & nostræ & Latinæ literæ loquuntur, Rutupinum littus totius Cantie promontorium fuisse, et navigantibus procul se conspiciendum

3

proposuisse, cum Sandwicum in obscuro positum nullis transeuntium oculis possit conspici. Itaque mihi veterum sententia probatur, antiquam huic castro longe aliam atque nunc est fuisse appellationem. Ac Elmerus, in quo multæ erant literæ, summa et vitæ sanctitas et orationis gravitas, qui, Anselmo Cantuariensem archiepiscopatum tenente, scripsit, et a Lelando discedit et meæ opinioni accedit. Nam cum ab antiquis temporibus valde se eo in loco portuosum mare diffunderet, necessitate sic urgente, effectum est, ut arctioribus quibusdam limitibus mare constringerent, ab eoque Doaferum quasi clausum et impeditum portum ab ejus ætatis hominibus appellatum. Postea tamen, temporibus omnia mutantibus, pro Doafero Doveri nomen ei vetustas dedit. Hujus autem et clausi portus et commutati nominis causam exponemus.

CAPUT II.

Cum Brutus, ut clarissima nostræ gentis monumenta testantur, gigantibus ejectis, Albion insulam, quæ a fertilitate nomen invenit, bello sibi ac suis acquisisset qui ab illis tanquam hæreditario jure in regni possessionem et dominationem veniebant, agreste et duriter, sine castellis, sine munimentis, sine ullis oppidis, quæ murorum præsidio ad hostium motus

4

comprimendos satis valerent, in armis tamen vivebant. Nam cum sine ulla armorum peritia aut bellicarum rerum scientia, tantum natura duce, in prælia ruerent, omnibus, quæ ab exquisita belli arte proficiscuntur, incognitis, montium altitudine et silvarum densitate irruentium hostium impetus represserunt. Sed cum Caius Julius hanc insulam, ut Romano populo pareret, et jugum imperiosæ gentis susciperet, armis superandam statuisset, ingenti ornata classe portum Rutupinum, qui ad orientem vergit, navibus superare contendit. Quem jam suos exponentem homines nudi et, ut magis terrori quam damno adversariis essent, glausto infecti in montium summitatibus constituti, ne in eo portu limen poneret, telis et missilibus prohibebant. Itaque Cæsar, sublatis anchoris, et mutata velificatione, circa millia passuum octo ab eo loco progressus, aperto et plano littore omnes naves constituit, quod et temporibus nostris Dæli nomen habet, ubi ad nostram ætatem apparent castrorum quædam vestigia fossa et vallo munita, et in montis latere collocata, non multis ab eo loco passibus, qui patria lingua Walmere, id est maris murus appellatur.

Et quamvis nostri homines castrorum nomen immutarunt, et Regii Montis nomine (ita enim placet appellare Kingesdoune) insigniendum putaverunt, antiquitatis tamen studiosi ne Romanum quidem nomen repudiarunt, quod eum, in quo erant ea castra constituta, locum,

5

Roman Codde appellant: qua voce Romanorum fortitudinem voluerunt denotari. Ipse autem Caius Julius, post quassatam tempestate classem, post eam calamitatem quam inusitata Britannorum pugna, qui ex essedis tela in hostes conjiciebant, Romanis militibus intulit, hac spe se ad naves fluctibus jactatas recepit, ut aliquando magis opportunum tempus ad Britannos subigendos sibi a diis immortalibus tribueretur.

CAPUT III.

Incipente autem vere, validiore stipatus præsidio, et ut quidam Britannici scriptores memoriae prodiderunt, Androchii, qui Trinobantibus imperabat, viribus adjutus, hanc insulam vi et armis subegit, et Cantianos e silvis eorum non sine magna calamitate exegit: ut facile conjectura consequi possumus, montium summities eis pro castellis et turribus fuisse. Fractis ad eum modum, Cassevelano duce, ante Christum natum sexaginta annis, Britannorum viribus, et quod Romanis sempiternæ gloriæ fuit, in servitutem redactis; Cæsar, ut facilius victos sub imperio et in officio retineret, obsidibus acceptis, et singulis annis duorum milium pondo tributum pendere imperavit, et Mandubratio, quocum fœdus et amicitiam inierat, tanquam totius gentis præfecto parere jussit. Et quoniam primo in Cantianorum

6

ditionem invaserat, et in Baramdoune, qui in Cantianorum sinibus est, novissime Britannorum copias fuderat, Cantiam ad novas copias evocandas, et, si ita res postulare, dimitendas, peropportunum fore judicavit. Itaque cum Rutupino littori quidam mons immeret, totius Cantii promontorium, existimabat maximæ utilitati reip. futurum, si in eo tam incredibiliter a natura facto aliquam munitionem arte fabricatam ædificaret, ut posset ab eo portu, tanquam ex munitissima arce, hostium incursiones cohibere. Itaque præfecto militum, prætorium, his munitionibus quæ apud Romanos in usu et consuetudine erant, simile erexit, ad quam exædificandam cum summa insulanorum opera uteretur, eos a sumptibus faciendis liberavit. Hoc castrum hac ætate Subterraneum appellatur, cujus tanta erant a Cæsare incrementa, ut operis magnificentiam summa cum admiratione possimus intueri.

Huic tanta felicitate constituto Mandubratium natione Britannum præfecit, eumque legati dignitate honestatum, tam in Cantianos, quam in Trinobantes, imperium exercere jussit; qui omnem reip. administrationem in castris Cæsaris exercuit, aut, ut alio nomine uterer, in castro Rutupinorum, quod aut propter Rutinos in Gallia populos, qui nunc Bononienses dicuntur, aut quod portuosum mare per medias duas rupes se diffundat, nomen habet. 7

CAPUT IV.

Non multis autem post annis effectum est, ut Gunderius Cimbolini filius, cui Christi nomen, quod eo regnante nascebatur, summam claritatem dedit, et fœdera cum Romanis inita ruperit, et Romanis imperatoribus servire, et transfugas reddere et tributum pendere recusavit. Quo fraude interempto, Arviragus illius frater et regnum suscepit, et fraternas inimicitias magno animo est ultus. Itaque Claudius, qui tum Romanis imperabat, tanta injuria irritatus, indignitate rei commotus, ut ejus ferocitatem comprimeret, Vespasianum, summum hominem, Arvirago bellum inferre jussit. Qui cum et Romanorum potentiam, et quo in loco propter rebellionem suæ res et fortunæ ponerentur, considerasset: & quam acerbe Romanorum jugo sui paruisset, animo repetiisset, ut clarum belli ducem, et eum qui ne Hectori quidem animi magnanimitate cesserat, decuit, summa diligentia omnes hostium aditus exquisivit, ut exquisitos omni cura, studio, ratione impediret. Inter omnes autem portus, quos diligenti labore investigasset, nullus occurrebat portu Rutipino aut ad ingrediendum tutior, aut ad defendendas a ventorum rabie naves commodior. Ut igitur

8

illius portus commoditatem omnem Romanis eriperet, convocato suorum consilio, pecuniam imperavit, qua mercede conductis hominibus, Romanorum castrum et auxilium, et fossis quam poterat altissimis munivit, ut Britanni ea ratione facilius eorum audaciæ resisterent. Neque his quiescens, ipsum mare mira quadam arte exclusit, et ne quis postea portus Rutipini commoditate fruere, perfecerat, unde ipsum castrum nomen invenit nomen, id est, Dofris, vel Dobris, vel Doris. Nam cum ante id tempus, id oppidum Rupecestrum, id est, castrum supra rupem, Britanni nominarent, propter impeditum vel præclusum portum, Doris vocabatur. Itaque repudiata Lelandi de aqua lucida opinione huic subscribam. Sed Romani ab hoc

portu hujus tanti hominis industria rejecti, contrariis agitati ventis, in Vectem insulam, seu, ut in quibusdam reperio, in Totonensem portum applicuerunt. Cujus potestatem cum semel Vespasianus obtinisset, eo ipso Britannos antiquum illud et toties negatum tributum pendere coegit.

9

CAPUT V.

Marius, Arviragi filius, ut patri in imperio successit, ita eum in impediendo Romanorum ingressu est imitatus. Ut in Limni portu, in quo munitio posita Fortium Virorum Castrum dicebatur, nunc autem Stowtevall, illud castrum cujus ad nostram ætatem rudera pervenerunt, sub Limnii montis radicibus ædificatum, Cantianis salutem attulit; sed et hoc regnante tributum pendebatur, quod non mediocre calamitatem Britannis peperit. Coilus, qui huic successerat, in hoc cogitationes suas omnes ponebat, ut antiquum oppidum cum castro conjungeret, juxta plagam Borealem, infra ambitum murorum exteriorum. Patrem mortuum in imperio sequutus est Lucius, cui non modo regni administratio, sed etiam portuum, & illius castri tanta arte a majoribus fundati, magnæ curæ fuit. Neque suis rationibus convenire putabat, ut olim Arviragus, tributum non pendere, quod Britannorum primus Christum professus voluit sine ullo bellorum tumultu tranquille pacateque vivere. Nam cum vitam sic instituisset, ut eam, quæ in regni medullis insederat, superstitionem convelleret, ut idolorum cultum extirparet, scholas ad Christum perdiscendum, templa

10

Christo consecrata, magis quam loca turribus et fossis munita, sibi statuebat erigenda. Itaque propter incredibile in castellum Dorense studium, post pacem cum finitimis sancte constitutam, in ejus montis, in quo castrum constituitur, summitate, speciosum quoddam templum in Christi honorem curavit ædificandum. Quod cum et præclare perfecisset, et contra hostium incursiones muro et summæ altitudinis fossa munivisset, tres ibi constitutos sacerdotes, ut melius Christo inservirent, et eum liberius universo populo prædicarent, maris tributo remunerandos duxit. Hic tanta pietate princeps, cujus cogitationes ad amplificandam Christi gloriam erant positæ, quod sine prole discesserat, Severum Romanorum Imperatorem, universo populo sic jubente, successorem designavit. Qui homo crudelis, et propter immanitatem nobilitatus, Sarisberiam, et murum illum, quo in septentrione Britannia a Scotis et Pictis dividebatur, et suis et ærarii sumptibus ædificavit. Sed in eum tanto odio ferebantur omnes, ut Eboraci ab inimicis veneno extinctus esse crederetur. Post quem, Britanni sine certo duce aut regni moderatore relictis, a Scotis cæsi, a Pictis vexati, a Romanis spoliati, in maximas calamitates inciderunt: cum quotidie bonorum direptiones, uxorum constuprationes, liberorum luctus, oculis intuerentur.

11

CAPUT VI.

Unde fiebat, ut Vortigerius, homo negligens, sed tutam princeps, necessitate cogere, ut est apud Gulielmum de Regibus, a Saxonibus, exteris nationibus, opem ac salutem querere: quæ res ut principium lætum, ita exitum habuit calamitosum; cum hi prodicione ac malis artibus ad imperium totius insulæ aspirarent. Engistus enim, qui, cum fratre Horsio, regi auxiliatum venerat, pulsus hostibus, a Vortigerio comitis nomine Cantianis præesse jussus, in Dovariensi castro sedem rerum omnium et fortunarum suarum collocabat. Qui, dum ipse abesset, Horsium fratrem ei castro præposuit, a quo generis sui originem ducunt, quos in Cantia Horneos sive Whorneos appellamus. Hic, præter eam præfecturam, portuum etiam regimen accepit, et propter eam, quam cum portubus habet vicinitatem, ex omnibus locis Appeldourum maxime peropportunum ad inhabitandum esse duxit: sed non diu in tanta potestate quieverunt. Nam cum ad regiam majestatem omnibus viribus incumberent, dissipatis a Vortimerio rege eorum copiis, Horsius occisus est, Engistum omnem salutis

12

spem in fuga collocavit. Parta autem victoria, novercalibus Rovenne insidiis Vortimerius veneno est sublatus: cujus morte, ut ad populum Britannicum summus mœror, ita ad eum summæ calamitates devenerunt. Fractis enim illius indigna nece totius gentis viribus, nunquam insulæ imperium poterant obtinere, cum paucis post annis, Cadwaldero mortuo, Ethelbertus Saxo, ab Engisto ortus, regni gubernationem acciperet. Ethelbertus adepti et regni fines ad Northumbriam usque propagavit, et munitis castellis prospexit, et Dovariensi tum aucto filium Edbaldum præposuit. Cui, quod patre regnante, præerat, mortuo patre, benefecit, ac cum in unius Laurentii Doroburniæ archiepiscopi, quem antea capi-

taliter oderat, monitis et consilio acquiesceret, ab eo persuasus, collegium, in quo sex canonici cum præfecto degerent, instituit, et institutum cum eo, de quo antea dixi, Lucii templo, in honorem Christi ab eo condito, ab Augustino Virgini Matri consecrato, adjunxit: erat enim non multis passibus a Coltonis porta. Sed cum eam in opinionem Withredus descendit, non decere inter armatos homines dare sacerdotibus locum, e castello in oppidum vicinum populariter commigravit. Qui, cum eos summa liberalitatis commendatione viginti quatuor effecisset, prope castellum pulcherrima nacti ædificia, templum beato Martino dedi= carunt: quos quod in Dei verbo late seminando totos esse voluerit, maris tributo donavit.

13

Hic cum et mandato egisset, ne exterarum gentium aliquis in eo castro degeret, et templum eo ipso in loco, ubi ante Arviragum naves in anchoris stabant, extruxisset, et multa a majoribus inchoata perfecisset, ut tutius Dorensis oppidi cives viverent, et, ingruentibus jam bellorum tumultibus, minore cum periculo hostes rejicerent, murum ad mare fieri fecit, qui contra omnes hostium impetus eos tereret, et defenderet.

In eo itaque statu erant res Dorensium ad Edouardum confessorem, qui illius castri guber= nationem Godwino comiti credidit. Qui cum eam præfecturam per multos annos gessisset, ob scelera et vitam male actam in exilium missus, in tantis malis hoc unum solatium repe= riebatur, quod Haraldum filium natu maximum, post reconciliatam cum rege gratiam, succes= sorem designatum acceperat. Haraldus olim suffragiis rex creatus, Tostonem fratrem antiquæ dignitatis hæredem reliquit. Sed Godwini sceleratissimi hominis progenies, sic divisit inter se partisque honoribus, non diu lætabatur. Nam cum Alfredum Edwardi fratrem Godwinus indignissime necavisset, excitavit Deus Gulielmum Normanniæ ducem, qui tam præclari hominis mortem Haraldus interitu vindicaret. Sed quoniam de Normannis mentio quædam incidit, qui et Saxonum et Danorum gentem in hac insula consociatam devicissent, instituto nostro videtur valde necessarium, si et eorum originem altius repetam.

14

Rollo natione Danus et inter eorum duces præcipuus, homo fortis, cum sæpius animo destinasset in hanc insulam irrumpere, et eam suis possidendam dare, et novissime ad portum Limenæ ab Aluredo rege repulsus, omnem regni acquirendi spem amisisset: in Nuestriam Galliæ partem cursum direxit. Atque Rothomagum vi oppugnans, etsi non sine suorum vulnere, ejus civitatis possessione novi principatus fundamenta jecit. Quem cum omnibus suæ gentis copiis in Galliis impune grassantibus conjunctum, Carolus Simplex, eo tempore Galliæ rex, proceribus adversæ factionis oppressus, his conditionibus in fidem et amicitiam recepit: ut scilicet, abjecta ea, quam de diis habebat, opinione, uni Christo consideret, et omnem eam terram a Sequana, tanquam regis Gallorum beneficio concessam, feodi nomine possideret. Quibus confirmatis, Rollo baptisate initiatur a Francione episcopo Rotho= magensium, patre sacræ ablutionis Roberto Pictavorum comite, et a rege Carolo dux bene= ficiarius magno procerum conventu dicitur. Hic eo tempore ducatus accepit insignia, quo et in Galliis Carolus parum feliciter, et in *Angliæ Aluredus satis prudenter exercuisset prin= cipatum, et per triginta annos summo provincialium studio præfuit. Qui cum supremus vitæ dies adesset, moriens Gulielmo filio natu maximo, quem ex Ope Berengarii Bellova= corum comitis filia genuerat, provinciam testamento legatam reliquit.

15

Gulielmum ad summam gloriam virtute et rebus gestis nitescentem, dura quædam calamitas oppressit. Eum enim Arnulphus Flandriæ comes, ad Princiniacum in Somonæ fluvii insula interceptum, crudelissime necavit, 16 cal. Januarii, anno 942.

Richardum, Gulielmi filium, Normannorum ducem, pronunciavit Ludovicus, Galliæ rex: quem ducum omnium, qui eo nomine appellabantur, primum, inhuma quædam crudelitas inquinaverat.

Hujus filius Richardus homo in reipublicæ administratione et prudens et gravis, licet ejus nominis, usu tamen armorum nulli præstantissimorum ducum secundus, per triginta annos in Normannia cum imperio ac potestate fuit.

Sed tam longum imperii exercendi tempus, fata Richardo filio invidabant. Cum enim annum in ducatus tutela consumpsisset, et summa cum gloria potestatem sibi quasi per manus a parentibus traditam exercuisset, ereptus est indignissime patriæ atque bonis omnibus. Qui diutius si vixisset, facile vel paternam esset, vel avitam gloriam consequutus. Sed cum nullos justa uxore liberos suscepisset, moriens fratrem provinciæ successorem designavit.

Robertus cum ex uxore plane sterili nullos procreasset liberos: postquam octo annos Normannos sub imperio tenuisset, moriens Gulielmum suum ex concubina filium, ducem salutari, et in principum ejus gentis sede collocari curavit.

Gulielmus, homo acutus, in imperio augendo totus animo ac voluntate incubuit, et Angliam seditionibus oppressam devictam posteritati tradidit: cui ad summam gloriam nihil defuisset, nisi ejus inhumana crudelitas omnem vitæ commendationem evertisset. Nam cum omnibus Anglorum proceribus juramento confirmasset, se nemini vim allaturum, in regni possessione constitutus, eos pene omnes jussit exulare. Sed quoniam attigi oratione illius summam in honoratos hujus regni homines crudelitatem, non vagabitur oratio mea longius, sed his ipsis definietur viris, quorum indigna calamitas, neque a me propter eam, quam cum castello vicinitatem *habent, prætermitti, neque commode, propter orationis tenuitatem, explicari, neque sine multo dolore commemorari potest. Nam cum et summa populorum voluntate, et incredibili nobilium hominum studio, una consensione in hanc opinionem omnes Cantiani proceres descendissent, se, nisi antiqua gentis privilegia a tot regibus confirmata, ipse suis literis comprobaret, nunquam illius imperio cessuros. Gulielmus, et ut eas terras inviseret, et ut nascentem apud eos seditionem comprimeret, in Cantiam profectionem instituit. Cujus adventum cum multi nuncii et fama denique ipsa sua celeritate superasset, habito et suorum consilio, et militum delectu, Stigandum archiepiscopum,

et Ashburnhamum regulum, quem Dovariensi castro præfecerant, et Everardum et Egelsinum Augustinensis monasterii abbatem, universæ rei duces constituunt. Qui demandatum sibi a suis negotiis magna animorum alacritate suscipientes, postquam magnum exercitum, quibuscunque ex Cantianis gentibus potuissent, comparassent, eum in campo Suano, qui in eorum finibus est, circumveniunt, ab eisque nunquam abeundi impetravisset potestatem, nisi et eorum postulatis subscripsisset, et juramento confirmasset, eam conspirationem nemini unquam crimini *futurum, et, obsidibus datis, eorum tranquillitati cavisset. Sed tamen vindictæ quadam cupiditate commotus, et ulciscendi libidine inflammatus, omnia prostravit, neque eum promissi æquitas, neque jurisjurandi religio, neque summorum hominum pericula ab animadversionis acerbitate removerunt. Nam Stigandum archiepiscopum Dornberniæ captum, et primo ad Wintoniam missum, tum in Normanniam devectum crudelissime, ablatis omnibus alimentis, necavit. Jam vero Ashburnhami reguli, & castelli Dovariensis tum præfecti, Cantuariæ eo ipso loco, in quo summa cum gloria flourisset, ferro erepta vita est, et pro portis caput illud jacuit, a quo erant suorum capita conservata. Everardus, fortunis et possessionibus amissis, in ipsa paupertate consenuit. Monasterii autem Augustinensis abbas Egelsinus, cum sibi non incolumem fortunam deprecaretur, sed in exilio et fuga omnem salutis spem collocasset, in Daniam usque commigravit. Qui, ut patriam a

servitute vindicarent, in eas calamitates conjecti, et propter patriam tam acerbe a fortuna mulctati, æternam laudem et perpetuam nominis gloriam sibi ac posteris reliquerunt. Sic igitur constitutis Cantianorum rebus, ut suæ tranquillitati consulere, propter imminentes Danorum navales copias, omnibus Cantianorum portibus summa cura prospexit, et Lodani castrum a quodam Saxonico sic appellatum, septingentis militibus munivit: et ad Rofensis ab eo aucti defensionem quingentos constituit, et in Dovariensi tum augendo tum defendendo multum impendit, et eis omnibus Johannem Fineum præfecit, eumque regio diplomate et Dovariensis castri constabularium, et quinque portuum custodem pronunciavit. Quinque portus hoc nomine licet appellare Hastingsum, Dovariensem, Sandwicum, Romenallensem, et Hietham; ac, ut tantæ munitionis curam ipsa mercedis ac remunerationis spe alacrius suscipere, ei ac liberis suis possessiones feodi nomine assignavit. Et ut audacius adjunctis periculis sociis, si quæ aut ab exteris nationibus, aut ab Anglis tum primum fractis et domitis vis inferretur, summa animorum consensione propellerent, ei, ut certos homines bellica laude florentes 56, equitum auratorum feodo locupletaret, regia liberalitate concessit. Neque enim Johannes eam opinionem, quam de eo rex conceperat, fefellit: nam

ex omnibus Normannis octo, quorum nobilitata essent facinora, elegit: eosque tam præclara regis liberalitate donavit, ut ei in istius gubernatione, et portuum conservatione essent auxilio, quos nominatim recensere non gravabor.

Gulielmus de Albranco horum primus, Johanne Fineo concedente, accepit dominium de Foulkstone, qui ex 21 militibus, quos mercede conduxerat, tres singulo mense castrum tueri fecit, donec in eo per viginti octo septimanas *permansisset.

Tum Fulbertus de Dovaria, accepto Chilhamo, 15 milites suo sumptu in castri defensione collocavit: ita tamen, ut tres singulo mense per viginti septimanas in illius tutela

consisterent.

Hunc ordine sequutus est Gulielmus Arsickus, cujus milites octodecim erant, quorum tres singulo mense, donec viginti quatuor septimanas complevisset, castrum defenderent.

His accessit Galfridus Peverellus, qui propter virtutem magno in honore fuit, cui a Johanne Fineo imperatum est, ut ei 14 milites ad castellum defendendum præsto essent. Quorum tres singulo mense illius tutelæ prospicerent, donec in eo 24 septimanas consumpsissent.

Quintus, nomine Gulielmus Mainemouthus, castro cum viginti quatuor militibus præsidio esse iussus est, quorum tres singulo mense per triginta duas septimanas demandatum sibi negotium obierunt.

20

His ascriptus est Robertus Portus cum duodecim militibus, quorum duo singulo mense per viginti quatuor septimanas irruentes in castrum hostes propulsarent.

Tum fuit Robertus Crevicurus, qui castrum Ledanum extruxerat, ubi hac ætate Warhamum Sentlegerium equitem magnifice videmus habitare, qui tantum quinque militibus ad castrum tuendum constitutis præfuit, quorum omnes singulo mense per viginti septimanas in illius defensione evigilarent, quorum duobus concessum est, ut post secundum mensem discederent.

Horum omnium postremus fuit Adam quidem Fitzgulielmus; qui, etsi in hoc ordine ultimus, primi tamen hominis nomen est consequutus. Hic cum tribus militibus cæteris singulo anno per duos menses fuit auxilio. Hi omnes 112 numerum non excedebant, præter duces, qui omnes equites aurati, et propter rerum gestarum gloriam præstantes, quoties per regis negotia poterant, ea, quæ ad castri defensionem pertinebant, comparabant: aut legitime impediti, certos homines ad tam præclaræ munitionis defensionem conduxerunt. Qui tamen semel temporis sibi constituti finem imposuisset, per 186 septimanas ab omni muneris cura solutus quievit. Atque ita Gulielmus, etsi, propter summam in proceres Angliæ canos crudelitatem, et fidei contemptum, merito in omnium reprehensionem et oculos incurrat: tamen propter regni administrationem non mediocrem commendationem est con-

21

sequutus. Nam, cum accepisset, Danos ingenti classe huic insulæ imminere, publico edicto præcepit, ut castella munita tam suis quam populi sumptibus passim exædificarentur: cum ante id tempus, munitionis ne vestigium aliquod, nisi in portibus, existeret. Ea autem ante suam ætatem exstructa non solum auxit, sed etiam præsidii, Gotsolino teste, confirmavit. Et tamen præter cætera Dovariensi castro studebat, cui cum Johannem Fineum regulum, cujus antea mentionem feci, præfecisset, et tam illustres viros ei adesse iussisset, ut flagrantioribus animis in illius defensionem incumberent, cum in tutela permanebant, in *fundatæ ab eis *terris primo loco prolatis insignibus commorabantur. Harum turrium nomina, ut antiquissimis illius castri monumentis constat, quæ mihi honoratus vir Gulielmus Brookus Cobhamianus regulus, qui summum ibi magistratum gerit, et splendidissimi homines Gulielmus Crespus et Rogerius Norintonus, qui cum aliquo ibi imperio sunt, mihi conspicienda proposuerunt, ea ætate hæc erant. Itaque ab australi parte incipiens, cum ad Borealem venero, finem faciam, et unicuique munitioni id nomen imponam, quod a primis custodibus eis erat inditum, qui etsi eas a ruina conservare tenebantur, nunc tamen diruta et prostrata ante oculos jacent.

22

Nomina Munitionum et Turrium, et Ducum, qui eis, ex Edicto Regio, et Mandato Johannis Finei Constabularii, præfuerunt. Qui, quoniam posteritatem omnium seculorum immemorem esse noluerunt, Insignia in ipso extremo Muro collocata reliquerunt.

Utque ab ipsius castelli circuitu, et ipso muro, quem nostri curtineum appellant, qui omnes castri munitiones conjungit, ad turrium nomina indicanda, ordiar: ex ea castelli parte, quæ mari alluitur, ille occurrit murus ad Boream usque vergens, ibique cum antiqua turri conjungitur: ubi antiquitus pons ita eorum usibus inservivit, ut, cum flagitaret necessitas, eis esset pro porta, et, sublato omni periculo, ad mare descendentibus et in urbem euntibus esset pro ponte. Et, quoniam ibi canonici inhabitant, canonicorum porta appellatur.

Hinc iste murus ad munitiones conjungendas factus, Albranci turrem contingit. Erat iste Albrancus, de quo antea dixi, Foulkestoni dominus, qui *eum et militum suorum regimen, et ejus munitionis tutelam Rokesleio cuidam, qui domicilium propter Lenham habuit, commisisset, turris ab eo nomen habuit, et is eam deberet sartam tectam ab omni ruina

conservare.

Ab ista Boream versus is murus protenditur, donec cum *Fulbert Dovariensis turri conjungatur. Qui cum Chilhami castrum regia liberalitate possideret, et in eo sedem rerum

23

omnium et fortunarum suarum collocaret, a Chilhammi castro ea munitio nomen invenit. Sed cum in ea ipse non resideret, sed Chaldercotto cuidam omne negotium committeret, repudiato nomine summi ducis, propræfecti nomen est sortita; ipsum tamen Chilhami castrum, et quicumque aut hæreditate, aut ulla alia ratione in illius possessionem venerant, ad eam munitionem defendendam cogebantur.

Hinc ad septentrionem nova quædam porta existit, et, intercedente eo muro, exigua quædam nec magni roboris turris, Chaldercottonæ conjungitur. Quæ, cum esset Chilhamianæ quædam pars, ab Hursto, propter Chilhammum posito, nomen habet. Ad quam tuendam ejus villæ reditus conferri deberent. In possessionem ejus villæ Henrici IV. temporibus venerunt Darelli, ex ea familia, qui Wilsheriam inhabitant. Postea tamen ejus hæreditas ad Cantianos Darellos in Cadhullo delata est. Sed is, qui eam hæreditario jure hac ætate tenebat, propter innatam in eo prodigialitatem, tam præclarum a majoribus relictum patrimonium dissipavit. Hinc curtineo quodam muro ad eam turrim dirigimur, quæ antiquitus ab Arsicko, qui ei præfuit, nomen sumpsit: cum tamen ipse a Saio quodam, quem postea regulum creatum legimus, ut ei prospiceret, impetravisset, Saiana dicebatur. Sed cum, regnante Henrico tertio, ei castro præesset Stephanus Pincester, eques auratus, imperatum est quæstoribus castri ut in ipsa turri residerent, & militum stipendiis provi-

24

derent. Quo Hubertum de Burgo illius consilii autorem est imitatus: a ruinis tamen defendere deberet Gotfridus Saius regulus, quod hæc duo opima prædia regia liberalitate possideret, Langdonum in Cantia Foulkestoni partem, et Pevingtonum non multis a Pluckley miliaribus situm, stipendiis providere debent.

Huic curtineo etiam muro adjicitur Gattoniana turris, quam ædificatam bene in eodem statu conservaret Copleius dominus de Gatton in regnorum finibus, aut quicumque Gattonensis oppidi hæreditatem adirent. Ab ista turri cum discesseris, statim se conspiciendum proponit iste, quo omnes junguntur turres, curtineus murus, et ad speciosam quandam turrim sequentes ducit; quæ et porta et ponte, qui pro voluntate auferri poterit, munita, magnum adjumentum adfert et hominibus oceano proximis, et cæteris turribus, ad hostium motus comprimendos. Huic quamvis Peverellus præfuit, et prærogativo quodam jure arcis nomen daret: postquam omnem suam potestatem aut cum Bellocampo communicasset, aut ad eum detulisset, pro Peverelli Bellocampiana turris consentientium militum suffragio dicebatur. Sed cum ille regio diplomate castri mariscallus crearetur, a magistratu, quem gerebat, appellari placuit. Ea tamen, ut temporibus istis Mariscallorum turris dicta ad perpetuam rei memoriam, Bellocampiana insignia palam collocata retinet. Hæc ne rueret, caverent hi qui ex Verowndo, Wernstede, Eshursto reditus annuos regia liberalitate capiebant.

25

Ab ista turri, majori aliquando spatio, et curtineo cæteris associata muro, Porthi turris exurgit, illud enim erat primi ducis nomen. Sed quoniam Gastingus, cui ex militibus suis detulerat principatum, in ea semper illius nomine consederat, antiqua repudiata, in *sede ducis appellatione conquievit. Hanc, si quando rueret, suis sumptibus ædificare deberet Sancti Johannis regulus, quod Lasswelli dominus eum vicum Roberti Porthi beneficiario jure possidebat. Sed tamen dirutam, et multis annis prostratam, exstruxit Maria regina, a qua Mariana dicitur.

Huic brevi, sed tamen curtineo muro, jungitur perampla, et cæteris magnificentior, turris, quæ, cum ad antiquum castrum aditum omnem et intercluderet, et admitteret, Finei vel Nova porta dicebatur, quod erat alia quædam illa multo antiquior, quæ castellanis ideo inserviebat. Hanc Johannes Fineus, qui in castellanis magistratibus primus erat, et a suo nomine appellabat, et, quoniam a cæteris omnibus non multum aberat, in ea requieverat, et pro portis gentilia majorum insignia collocaverat, et pro tribunali *sedent, in quo eum omnes, qui castro præfuerunt, imitati sunt, militum de stipendiis cum quæstore litigantium causas audiebat, et eis, qui in castro excubarent, tesseram dedit. Quæ ut bene fundata, sic etiam bene munita esset, duplo plures, qui ad illius, quam ad reliquarum turrium tutelam, invigilarent, constituit. Hubertus autem de Burgo, qui quartus in præfectura fuit,

26

et secundus qui eo nomine, ut majorem sibi commendationem adferret, et Fineo authori-

tatem omnem convelleret, ut eam non Finei, sed Burgi portam appellarent, mandato egit. Quam injuriam illi, qui ei successerunt, utriusque memoria abrogata, quod in illius defensionem præcipue conestabulus incumberet, ab eis turrem appellari curaverunt. Hanc sartam tectam conservare tenebatur Philippus, quem vel columbarium vel super cotta dixeris, qui et Alingtoni castrum Dunstalli Charneique vicos in Cantia, et Avarincius, qui Egertonum in Norfolcia, et Folkestannum Langdonnum Servinfildum, beneficio Johannis Finei, possidebant.

Unde ad illius portæ septentrionalem plagam, intuentibus occurrit alius quidam curtineus murus, qui ad bene constitutam licet non magnam turrim tendit: cujus, quod antiqua corruerant, jacta sunt nova, regis sumptibus, Edovardo IV. regnante, fundamenta. Huic antiquo castro, ante Pincestri ætatem, Cloptonus tamen Suffolciensis et nomen dedit, et ne rueret cavebat. Ille quidem castellano quæstori, non ut ibi inhabitaret, sed ut in eo officium exercebat, et omnia castri monumenta poneret, assignavit. Quæ mihi hæc scribenti maximum adjumentum attulerant, multoque majus adduxissent, nisi improbissimus rabula nomine Levenishe, dum Johanni Moningo, quocum de principatu contenderat, nocere studisset, et ea omnia, unum in locum congesta, sceleratissime exussisset. Sed ad quæstoris turrim

27

revertamur. Ei, brevis, sed tamen curtineus murus, illam munitionem conjungit, quæ Dei inimicus dicitur, ab eo, qui Nicolai Verondi in ea vices gerebat, qui Peverello propter concessa ab eo prædia multum debebat. Sed eam, aut temporis longinquitate, aut ipsa belli calamitate, collapsam restauravit hi, qui Estlingi hæreditatem adirent.

Hinc magnifica quædam exurgit turris, brevi quodam curtineo muro cæteris assignata, cujus cura Hugoni Crevicuro erat demandata. Sed Cravillus, quocum omne suum imperium communicavit, et castro præfuit, et ei illud nomen indidit, quod ad Henricum tertium, sine ulla immutatione, remansit. Postea vero, cum, sic urgente necessitate, Bigotto Norfolciæ comiti, et Angliæ mariscallo, illius arcis cura committeretur, milites ejus memoriam in appellatione, repudiata vetere, celebrandam existimaverunt. Aditum autem præbuit ista turris ad pontem regium, quo ad illud castellum, tanta arte a Romanis ædificatum, ducuntur. Sed cum ipse comes, propter egregiam in castri defensione navatam operam, et Gravisendo et Whitchlingo et Sandelino, Cantianis oppidis, et Renhamo in Essexiorum agris constituto, ditaretur, ei aliqua calamitate afflictæ sua pecunia consulere tenebatur. Ab hac turri, occulta quædam via et subterraneum quoddam specus tanta amplitudine sit, ut et equites et pedites inde irrumpentes, et hostes incautos et præter opinionem invadere, et in castello supremam calamitatem inferant, possint efficere. Hæc autem spelunca et ponte munitur,

28

qui pro defendentium arbitrio poterit auferri, et lata fossa, et propter profunditatem in modum putei sicca, et, quod munitioni maximum robur adfert, rotunda quadam arce defenditur. Hujus occulti quidam exitus, a nostris Barbakehanni appellati, ad emittendos in planitiem milites summam facultatem præbent. Hanc ad castri propugnationem condidisse Hugonem de Burgo quidam putant, eo tempore, cum conspirantibus in Johannem regem proceribus, et ad Galliæ regem totius insulæ imperium deferentibus, castellum a Ludovico delphino arce obsideretur. Eam tamen Sancti Johannis regulus, propter Burleyi et Pisingi et Chaballi in Cantianorum finibus positorum, et propter Popishalli in Herefordensi agro hæreditatem, ab omni ruinæ labe conservare tenetur.

Comitis Norfolciæ turri curtineus iste murus eam arcem addit, cui & præerat et nomen dedit Adam Gulielmi Filius. Sed cum Johannes Sancti Johannis regulus uxoris nomine illius hæreditatem adiisset, et arci, abrogato vetere, suum nomen imposuit. Habet etiam hæc (ut superior) occultos quosdam et ad hostium calamitatem paratos exitus. Ad hanc turrim conservandam rex Blakstonum et Betelhangerium Cantianorum vicos possidendos tradidit: sed cum tam exiguos redditus, ad eam, quæ sub terra est, munitionem tuendam, non sufficere existimaret, Redegendo, Wapingholto, Witfildo, Tonterego, Hartangero, et Hameo, veterem liberalitatem adauxit.

29

Non multis ab hac passibus vigilum exigua quædam turris, et sine ullis ad pernoctandum locis, conspicitur, cæteris curtineo quodam muro associata. Sed tamen propter illam arcem domum quandam vidimus ædificatam, in qua vigilantibus ante datam tesseram permanere concedebatur: huic prospicere tenebantur, quicunque Swinfildum obtinerent.

Hinc ad orientem Avaranchi præclara turris conspicitur, quæ duos curtineos muros conjungit. Avaranchi autem memoriam abolevit Maunsellius, qui ei in officio successerat, cujus insignia pulcherrime insculpta pro ipsius arcis foribus omnibus conspicienda ponuntur.

Huic autem Maunsello rex ad conservandum hanc arcem Maltanium et Alkehamum vicos dono dedit.

Hinc brevi et obliquo quodam curtineo muro ad eam turrim ducimur, cui primo præerat Gulielmus Henrici veteris villæ filius. Sed cum Johannes conspirantium in suam perniciem nobilium armis regno pene eijceretur, ad castrum Stephanum Pincesterium, cui multum tribuebat, cum imperio misit: eum Huberto de Burgo, jam plane obsesso, cum delectis militibus auxilio esse iussit. Qui cum commissam sibi a rege præfecturam maximo animo gessisset, summa militum voluntate usus est, ad castrum suo nomine appellandum. Conservabat tamen illam a ruinis arcem Gulielmi posteritas propter Postelingum, Hortonum, Rogingum, Black=

30

mounstrum, Cantianos vicos, illi regio diplomate ad hoc usus concessos, ab hoc castro duobus muris, quibus et porta et pons adjunguntur, ad subterraneum ducimur: illi etiam muri a Lucio ædificatum templum tribus portis potestatem concedunt adeundi.

Sed Pinchestrianæ, turri brevi et rotundo interjecto muro, Godwiniana, in qua posticam videmus, proxime accedit. Hæc ante Gulielmum Normannum, a Godwino Cantiaë comite, et summo totius castri præfecto, exædificata, ab eodem etiam conservari debebat; præcipue Godwinstono, non multis a Sandwico miliaribus, olim Godwini, nunc autem Clintoni reguli, vico. Ad quem utrum hæreditate, an emptione, an regio dono, devenerit, mihi non satis constat. Hoc tamen innotescit, Johannem Fineum regulum, a quo Clintonus generis seriem repetit, omnibus pene Godwini possessionibus a rege fuisse locupletatum. Per hanc posticam Hubertus de Burgo, teste Thoma Radburne in Annalibus, cum et Ludovici Delphini, et conspirantium procerum obsidionem diu sustinisset, introducta militum manu, et magna sagittariorum et balistarum multitudine, et adversariorum animos debilitabat, et suorum spem confirmabat. Quod cum Delphino cum suis innotuisset, et virtutis admiratione, quam in illo contemplabantur, capti; Gulielmum Longaspatum cum quadraginta novem Angliæ

31

optimatibus, quorum ex numero erat illius frater natu minor, ad eum cum amplissimis mandatis miserunt. 'Ut, quoniam vel patriæ, pro qua tam fortiter stetit, vel Johanni regi, cui quamdiu vixerat, fidelem operam præstitisset, abunde omnium opinione satisfecisset, jam pro mortuo, vel pro eo, qui propter ætatis imbecillitatem, eos regere non posset, pugnare desisteret, illudque castellum, ei bello opportunum, Ludovico traderet, ac, si eorum postulatis acquiesceret, Norfolciam et Suffolciam sibi ac hæredibus suis tradituros esse confirmarunt.' Quibus ille, cum eos perduellionis crimine notavisset, et in fratre præcipue exacerbatus, hæc respondisse fertur: 'An me adeo ingrato animo esse existimatis, ut patriæ charitatem, eam, quam regi sponsoveram, fidem, familiæ meæ dignitatem, negligam? An me æquo animo passurum existimatis, si meo vel labore, vel periculo, vel morte huic malo possit occurri, patriam, quam ego liberam accepi, servire? Infan-tem regem, quem pater morientibus et singultientibus vocibus meæ fidei commisit, regno spoliatum apud alienissimas gentes exulare? Generis meæ nobilitatem a fratre meo, quod summo cum dolore dico, desertam, proditione notatam interire? Imo vos potius, qui et huic regno calamitatem intulistis, et Anglicanæ nobilitati summam infamiam inussistis,

32

discedite, nec me bello invictum promissis expugnari posse putate, nisi eam, quam tan- tope horrebitis, mortem a meis militibus vobis inferri cupiatis. Ego enim hoc animo sum, priusquam me Franciæ regi filio dedam, faciam id, quod est dignum proceri Angli- cano, moriar.' Quæ tanto animo præter omnium opinionem prolata, cum ad Del- phinum retulissent, ea, quam de castri expugnatione conceperat, spe abjecta, cum suis militibus discessit. Hubertus cum suis balistariis præclaram servatæ fidei et constantiæ laudem per se partam, tanquam optimam hæreditatem posteris reliquit. Atque hæc de postica vel de Godwini turre diximus, cui per exiguum quendam murum turris cum exigua quadam porta conjungitur. Hanc portam ii homines, qui primi castrum incolebant, ad oppidum adeundum maxime opportunam putaverunt, quam Eshetisfordiensem appellabant, quod, qui Thorneium et Marshamum incolerent, eam conservare cogerentur. Ab hac longus quidam murus ex- tenditur in quo tres exstruuntur turres, ut sine nomine, ita sine ullo satis idoneo ad per- noctandum loco: quarum tamen structuræ cautum est, cum sit illius cura Eshetisfordiensis castri professoribus, cui Chherbiani et Bodinghaniani in Norfi fundi associati sunt, deman- data. Sub hoc muro, cum Arviragus in hujus insulæ imperio consisteret, antiquum illud oppidum Rupecester, et Sancti Egidii ecclesia, quæ oppidanis inserviebat, fuit ædificatum.

33

Postrema omnium, et in hoc curriculo quasi ultima, est Mortimerii turris, quæ propter mare sita est. Cui tamen castro primum Valentii nomen dederunt, et in eo præfecturam obtinebant. In quorum possessiones, cum Foggei, quod eorum filiæ illis nupserant, venerint, sua pecunia, ne in eo ruinæ periculum fiat, eis est providendum. Hoc etiam accedit ad nominis amissionem consolandam, quod Valentiana insignia pro valvis collocata conspiciantur. Sed ut ad Eshetisfordiensem revertar, et ad eum longum murum tribus turribus ornatum, non procul a postica versus templum curtineus quidam murus Clintonianam turrim attingit: cujus insignia mœnibus insculpta, etsi loco nomen dare, tamen nulla in eo cubi-cula ædificare potuerunt. Ab hac murus quidam exstructus templum Lucianum circum-dedit: quem ab eodem Lucio conditum, et in eo templum ad crucis similitudinem situm esse constat; et in eo turrim, quæ munitioni potius esse, quam campanorum usui inservire, possit; cum in eo erigendo Romanam in arcibus ædificandi consuetudinem sit imitatus. Clintonus, vel qui Folkestonum hæreditate acquirerent, Clintonianam turrim conservare tenebantur. Est etiam in eo, de quo antea dixi, templo, ad Occidentem turris quædam quadrata, ut Romanorum ædificata, Lucii insignibus ornata, quæ tamen tempestatum improbitate sunt extincta. In ea altaris quædam apparent vestigia, ubi Augustinum, universo populo audiente, preces Christo fudisse, et templum idololatria et superstitione profanatum,

34

Virgini Mariæ consecrasse, veteres Dorensium annales memoriæ prodiderunt. Id tamen antea Lucius in honorem Christi, Sagani ut creditur consilio, dedicavit: qui, cum ab Eleutherio veram Christi religionem anno 156 didicisset, eam sui ad annum 286, tanquam castam virginem coluerant. Sed postea, cum Albanus in ejus testimonio et propagatione vitam et sanguinem effudisset, a Britannis vera in Christo fides contempta evanuit. Postea tamen, Augustinus Gordianitus non contemnendæ apud Romanos nobilitatis vir, Anglorum misericordia captus, ut eos Christo lucrifaceret, anno 616, Romam reliquit: et Ethelberto Cantianorum regi persuasit, ut et Christo crederet, et ut baptisate ablueretur. Ethelberto successit Edbaldus filius, qui cum se primo idololatriæ et immunditiæ dedisset, et in novercæ amore conquiesceret, a Laurentio Augustini successore graviter reprehensus, abjecta omni impietate, ad Christi nomen propagandum totus animo et voluntate incubuit. Nam et Augustiniorum monasterium, cujus initia erant a patre prope Cantuariam posita, perfecit, et eos, de quo antea memini, canonicos, in Dovariensi castro locatos, archiepiscopo opem et auxilium adferre jussit.

35

Sed ut, unde digressi sumus, revertamur, ad Occidentalem istius templi plagam perampla quædam turris collocatur, et in ea porta quæ Coltonis dicitur. In hac ille, qui castellanis militibus prædicabat, conquieverat: et eam conservare debent hi, qui Thilhammum possident. Ab ista turri extenditur quadratus quidam murus, fossa munitus, ubi collegii canonicorum tam antiquitus fundati quædam vestigia et rudera conspiciuntur: unde quadam porta ad regia cubicula ducimur, et inde ad Bellamcampaniam arcem. Quo cum semel veniamus, angusta quædam via, duobus muris vallata, Hercurtianam attingit turrim: cujus insignia illius castri mœnia non procul a portis nobis conspicienda proponunt. Hanc ut conservarent, Hercurtiorum familiæ Stantonii Hercourtum in Oxoniensi agro rex dono dedit. Huic peramplum quoddam atrium conjungitur, in quo cum quidam sit fons, qui castellanorum usibus inservit, turris in eo posita a fonte nomen habet. Et alia, in qua armorum opificibus locus ad opera peragenda erat constitutus, et in eodem atrio Arthuri porta, quæ ad Pincesterii turrim euntibus viam præbet, cui domus quædam conjuncta est, in qua omnes regiæ vestes ponebantur, a qua non longe aberat ampla quædam turris ab Edovardo Quarto ideo condita, ut regiis cubiculis ministraret. Sed ut ad Hercurtianam arcem revertamur, in qua porta ita collocatur, ut ea exeuntibus prætorium sive regium palatium in montis vertice situm proxime se ostendat. Hujus porta vel prætorii vel subter-

36

ranei castri dicitur, propter quam turrim pulcherrime constitutam et cubiculis plenam Edovardus Quartus exstrui curavit, eamque leonibus et liliis ornata, Delapolæ Suffolciæ duci et inhabitandam et conservandam tradidit. Non multis ab ista passibus et alia turris ponitur, in qua et militum arma, et ea omnia quæ ad castri defensionem pertinent, diligentissime conservantur. Inter quæ nonnulla sunt, quæ tantam antiquitatem redolere videntur, ut ea Cæsarum fuisse multitudinis judicio credatur. Quibus ego non assentior, cum nulla tanto artificio elaborata arma existimem, ut tanti temporis longitudinem sustinerent, ac ea potius fuisse Huberti de Burgo, de quo tanta diximus, existimo. Armorum domui conjunguntur cubicula quædam, et regia coquina, et cæteræ ædes ad regia negotia per-

agenda satis opportunæ, et aula sane antiqua, quæ ab Arthuro, summo homine, qui cum Saxonibus æternum bellum gesserat, nomen invenit. Quæ omnia ad principum dignitatem ea ætate sustinendam satis fuisse videbantur, bene et fortiter fundata, si nostram tamen memoriam spectes, rudia. Ab hac aula duobus curtineis muris distant duæ turres, valde ruinis deformatæ, a quibus non procul abest porta, et portæ conjunctus pons, quæ utraque regia appellantur. Ac, ut ad castrum regium veniam, pro nova porta, ut ei essent muni-

37

tioni, tres turres, curtineo inter se muro alligatas, Manimouthus tempore Gulielmi Normanni totius castri mariscallus inhabitabat: earum tamen una Gori turris, anno 25 Henrici Octavi, vocabatur. Inter illarum turrium duas, ampla sane aula, et ad fontem usque producta, eminebat, quam etiam ab Arthuro nominabant: quæ Henrico Octavo, cum Anna Bolenia, tum Penbrochii marchionissa, in morinos proficiscenti, erat promptuario. Ipsum autem palatium, a Romanis, qui Britannis imperabant, militum prætorium appellatum, ex rudi quadam materia erat conditum. Sed cum esset munitio, et ad hostium motus tam terra quam mari conspiciendos, idonea, et ad defendendos ibi Romanos milites ab omni invadentium Britannorum impetu necessaria, et ad cæteras arces ibi sitas in officio continendas opportuna, magis robori quam ornamentis studebant. Nostri tamen principes castrum, tanta arte a Romanis situm, pulcherrimis ædificiis ornaverunt. Nam et infinito sumptu ipsa mœnia 89 pedibus alta, ad cubiculorum usum excidenda curaverunt, et Edovardus Quartus, Edovardo Cobhamo regulo cura demandata, in eo ornando decem mille argenti pondo impendit. In hujus castri summitate fons est ducentis quadraginta passibus altus, quem Elmerus aquæputeum appellat. Quem Haraldus, cum Dovariensi castro, se Gulielmo traditurum, si unquam ad regni imperium aspiraret, privatus jurejurando promiserat: quod cum Gulielmo

38

poscenti nec præstiterat, nec illius filiam uxorem acceperat, ortum est inter eos bellum, quo Haraldus victus, eam, quam a patria acceperat, vitam, pro patria devotam, amisit, et regnum Gulielmo Normanno possidendum reliquit.

Series honoratorum Virorum qui a Gulielmo Normanno Arci Dovariæ et Quinque Portibus præfuerunt: Auctore Gulielmo Darello, Cantuariæ Prebendario et Bangorensis Ecclesiæ in Venedotia Cancellario.

Godwinus, Cantia comes, et Dovariensis castri præfectus, magis propter scelera quam per virtutem nobilitatus, qui metui potius, quam amari volebat, cui magis cordi erat, populum sibi obedientem reddere, quam ipse suo principi parere, et si tandem exulabat, in castro tamen augendo multum studii et operæ posuit, et eam præfecturam per duos annos gessit.

In cujus vel exulantis vel mortui locum successit Haraldus filis natu maximus, de cujus virtute clarissima erant totius populi et ipsius regis testimonia. Edovardi enim Confessoris legibus, cujus ætate hæc gerebantur, patris licet perduellionis rei hæreditatem adiit filius.

39

A quo Walthami monasterium conditum accepimus, eodem Edovardo regnante, anno 1064. Sed cum Haraldum conspirantia populi suffragia ad imperium extulissent, Tostoni fratri antiquam suam præfecturam assignavit, quod Dani, ingenti ornata classe, Anglicanis portibus imminerent, quos, eo uno, quo regnaverat, anno, cum Norwegiis conjunctos, insigni prælio superabat. Quo tamen devicto, Gulielmus Normannus, ut virtute et bello partum regnum pacatius tueretur, Joannem Fineum castro Dovariensi præfecit, ea lege ut illius præfecturæ hæreditas ad illius liberos in perpetuum dimanaret. Qui et populo charus et regi probatus, cum in Normannia esset decimo octavo Gulielmi anno, non sine summo populari dolore, fato concessit. Quo mortuo, non defuerunt illius liberi, qui in castelli tutela omnes curas et cogitationes ponerent. Jacobus enim illius filius, quem, propter incredibilem gloriam bello partam, et summam gravitatem, omnes adamarunt, patri et in præfectura et in prudenti reipublicæ administratione successit. Qui, cum a decimo tertio Henrici Primi annum cum imperio in Cantia fuisset, quam fuit omnibus gratus, mœrore celebrati ad Folkestonum funeris indicatum est.

Patris demortui præfecturam gessit Johannes Fineus regulus, qui nec bellicarum rerum peritia, nec in reipublicæ administratione, nec ulla virtutis excellentia, aut patri aut avo

40

cesserat. Sed cum summa et animorum et virium contentione Stephanus et Matilda de imperio dimicarent, hic, cum Matildæ studet, a Stephano et magistratu privatur, et fortunis

omnibus mulctatur.

Gulielmum Mariscallum in illius locum suffectum, qui regi erat ab epulis, Matilda in Wiltონensi praelio cum coepisset, quod in castelli praefecturam alteri debitam nullo jure invasisset, suo Sherburni castello se redimere coegit. Sed cum mortuo Stephano capiti suo imminenti calamitatem perhorresceret, castellum praesidio vacuum since praefecto reliquit, et in Normanniam fugiens agebat animum.

Henricus Secundus, ut gratum hominem decuit, Alano Fineo, et Johannis Finei patris haereditatem adire imperavit, et ad majorum suorum praefecturam, in quam Mariscallus invaserat, approbantibus omnibus, eum evexit. In qua, cum ad 28 illius annum, summa cum laude, fuisset, in Normannia fortissime pro rege dimicans, occubuit.

Illi tam in honore quam in magistratu successit Jacobus Fineus regulus inter Alani filios natu maximus, eo tempore quo Richardus aberat, Saladini bello impeditus. Huic primo crimini tum calamitati fuit, quod precibus et imperio Gulielmi de Longocampo, Eliensis episcopi, qui, rege bellum gerente, ex illius edicto caeteris imperabat, cujus etiam neptem

41

duxerat, Gotofrido Lazo, quem Henricus Secundus ex concubina genuit, pæne exitium paraverat. Hic cum, assentientibus his, quibus eligendi pontificis potestas legibus erat demandata, et consentiente Coelestino papa, Eboracensis archiepiscopus crearetur, cum, ut ibi inauguraretur, ex ultima Italia in Angliam advolasset, in Jacobi Finei diligentissime omnes portuum aditus custodientis manus incidit. A quo, etsi ad cænobium monachorum divi Martini confugisset, inde extractus in custodiam et castris carcerem est conjectus. Sed Johannes Cornubiæ et Gloucestriæ comes, injuriam fratri illatam tam acerbe tulit, ut coacta bene magna armatorum manu et fratrem vinculis exemptum debitæ dignitati restituerit, et Gulielmum omnem salutis spem in fuga et latebris collocare fecerit: et rex, demortuo fratre, ab omnibus constitutus, praefectura castelli, quæ jure haereditatis ad Fineam gentem pertinebat, Fineos spoliavit. Johannes rex, cum primo regni administrationem susciperet, et summam in republica perturbationem, et sanguinaria regni acquisitione, et civili nobilium dissensione, et ecclesiasticorum hominum spoliatione, et seditione Normannica conspiceret: statuit festinanter et suæ saluti et reipublicæ tranquillitati esse consulendum. Itaque, cum et veterem fratri illatam injuriam ulcisci decrevisset, et conspirantes in se proceres, qui Ludovico Franciæ delphino in regni petitione studebant, exhorresceret, et an injuriam vindicandam, et ad nobilium conatus reprimendos peropportunum fore existimavit, si Fineum

42

regulum, quo nemo a nobilium partibus steterat constantius, castris Dovariensis ad hostium aditus impediendos facti praefectura dejiceret, ut, eo ejecto, alicui eam praefecturam committeret, in cujus fide et probitate quiesceret. Itaque Johanne magna orationis comitate laudato, et amplis muneribus, egregioque patrimonio, remunerato, a Castellano magistratu dimoto, illud munus Huberto Burgensi commisit, viro docto, gravi, prudenti, patrii juris peritissimo, summa fide, summa prudentia, summa industria, qui operam suam Richardo primo fidelissime praestiterat. Hujus auctoritatem Cantiano comitatu amplificavit, eique eam potestatem tradidit, quæ postea ad omnes castris praefectos delata est, ut per universum regnum omnes fontes punire posset, ubicunque in facinore deprehenderentur. Hunc nostri justitiarum itinerarium appellabant. Iste igitur egregius castelli praefectus et portuum custos, veteres milites, propter vitiosas quibus utebantur consuetudines, vehementer improbavit. Atque, cum, quasi novus dominus, novas vellet promulgare leges, permissu principis imperavit, ut unusquisque praedidiarius in singulos menses patrimonio suo tributum decem solidorum imponeret, atque ita liberati, cura sua soluti discederent. Ex hoc autem exortum est castellanum illud praesidium, cui ut stipendium recte persolveretur, sancitum est ut quicunque agros ad Dovariensis castelli defensionem, donante Gulielmo Normanno, acce-

43

pissent, vel certis quibusdam diebus pecuniam dissolverent, vel singulis diebus, quibus pecuniam distulissent, illius debitionem duplicarent. Qua lege perfectum est, ut novis illis militibus (qui, semel constituti, per omnem vitam in ea munitione permanebant) stipendium optime persolveretur. Ac isti quidem milites non tam multitudine quam fortitudine, experientia, fidelitate, et in exequendo officio diligentia caeteris omnibus praecellebant. Itaque nocturnis vigiliis interdum quaesitore, interdum Mariscallo praesent mœnia diligenter defendebant. Excitabant autem et invocabant sese mutuo singulis horis, vel cornuum vel ænearum buccinarum sonitu. Alii portas, alii palatium regium custodiebant. Qui autem pro portis excubabant, æreis cornibus omnibus militibus in quavis castelli parte commorantibus, signum quasi tessarum dabant. Hujus consuetudinis quiddam hac ætate a nostris hominibus

observabatur, semperque in more fuisset, nisi castellum præsidium ad aulæ regiæ ærarium delatum, et commoditatem omnem abstulisset et rei majestatem penitus minuisset. Annis autem plus minus abhinc quinquaginta tres capellani castellanis et magistratibus et militibus ministrabant, quorum duobus domus juxta templum est assignata: tertio quem Cockleconum vocant, turris data est, quæ porta Coltonis nominabatur. Hic, Lucio regnante, militibus prædicabat, sequentibus autem seculis singula aurora preces dicebat: nunc tamen, quod a concionibus et precibus, ad missas scelerate et nefarie devenissent, ut amanderetur tantæ

44

superstitionis memoria, etsi certa alicui merces ad illud munus peragendum destinetur, nemo tamen vel ad milites Dei verbo instituendos, vel ad preces dicendas relinquitur. Hunc tamen, dum aliquo ibi numero esset, præbendarii habitu ornatum, propter loci tum dignitatem tum antiquitatem conspicimus. Duorum etiam qui supererant, alter Mariscalli janitoribus et cæteris castellanis magistratibus hora nona, alter hora decima præfecto ministrabat. Neque etiam hujus rei posteritatem vellem esse ignaram, eum qui militibus præsentibus orationes fundebat, in sacello reliquiarum ad partem borealem, qui mariscallo, ad altare beatæ Mariæ, qui præfecto, ad summum altare ministrasse. Sed his omissis ad historiam revertamur. Hubertus ille Burgensis demandatum sibi officium diligenter exequabatur, ordini accurate prospexit, militum numerum augebat, validissime castellum adversus Ludovicum Franciæ regis filium, magnis suorum et discedentium a suo rege Anglorum copiis stipatum, propugnabat. Quam historiam tum leviter attigimus cum de secreta porta loqueremur. Illa Ludovici obsidio sæpe intermissa, sæpe repetita, ad quartum usque annum prorogata, primo anno quo Henricus Tertius regnare cœperat finem invenit. Ad sempiternam hujus rei memoriam locus quidam ad occidentalem castelli partem ab ea obsidione nomen habet. Sed cum in summo belli et oppugnationis ardore essent, submisso, cum suo comitatu, et quadringentis hominibus, Stephano Pinchestero, castellum fortissime est defensum. Floruit iste

45

Hubertus de Burgo, regnante Johanne, et maximis facultatibus abundavit, et in ædibus, prope Thamesim, non longe ab eo loco, quem Scotiam vocant, ædificandis, Romanorum magnificentiam est imitatus. Verum postea, cum patris demortui regnum susciperet Henricus Tertius, multis vexatus contumeliis obiit. In tam præclaram ab eo fundatam domum Petrus de Rupibus, Wintoniensis episcopus, quo nemo fortunis opulentior, nemo in seditionibus excitandis pestilentior fuit, qui ab Huberto capitali odio discesserat, invasit: sed tandem vel pecunia vel gratia ad Eboracenses archiepiscopos est devolata. Eam tamen Thomas Wolseus, in quo nihil erat præclarum, præter innatam in eo superbiam, Henrico Octavo, cum eam antea ex præmunitionis lege perdidisset, dono dedit; qui in ea Anglorum regum regiam constituit sedem perennem. Atque ita Hubertus a Johanne honorifice remuneratus, et libera donatione publico regni sigillo confirmata facinosorum possessiones consequutus, eo mortuo, in acerbissimas tempestates, et maximas molestias, nullo suo merito, incidit. Nam cum aut a Johanne rege ad obsidionem fortiter tolerandam, aut propter præstitam in eo bello operam ab Henrico Tertio, apud quem per duodecim annos multum valebat, Cantia=

46

norum comes crearetur: summa Petri Wintoniensis malignitate depressus est ad calamitatem. Ei enim Petrus duo crimina intenderat, et quod Gulielmum Mariscallum et antequam adlevisset princeps, regni gubernatorem veneno sustulisset, et quod regiam pecuniam dilapidasset. Qua accusatione permotus, primum in asylum Martinensis cœnobii, tum in quoddam templum in Essexia confugit. Cui cum minime consideret, multum jactatus in turrim est coniectus, indeque nunquam evasisset, nisi Ranulphi Cestriæ comitis et Lucæ Dublinensis archiepiscopi et deprecatio et gravissima autoritas intercessisset. Quorum preces etsi ei incolumitatem et libertatem restituere, dignitatem tamen et opes recuperare non potuerunt. Dum hæc geruntur, ad sotes puniendos delectus ab Henrico fuit Stephanus Segravus, eques auratus: castelli vero cura Stephano Pinchestero equiti est commissa. In quo neque in periculis adeundis fortitudo, neque in laboribus perferendis patientia, neque in officio gerendo studium unquam defuit. Hoc præfecto jubente, omnia castelli monimenta, omnia a principibus irrogata privilegia, omnia regio diplomate data præfecto commoda, unum in librum, quem castelli feodarium appellavit, sunt congesta. Quo adjuvante, et hanc castellanam descriptionem literis consignavi, et hominum nobilissimorum res gestas et famam ab oblivione vindicavi. Hunc nulla inimicorum invidia a magistratu poterat dimovere, sed eum ad

47

Henrici regis interitum summa cum laude gessit. Hic cum e vivis excessisset, demandata

est illius praefectura Henrico Braibroco viro fortissimo, qui cum aliquot annis in ea praefectura fuisset, discessit, omnium iudicio probatissimus, quo mortuo, cum honore Dovariensis praefecturae Edvardus Walliae princeps ornaretur, ipse nominis dignitate contentus, omnem in milites auctoritatem Henrico Cobhamo detulit, qui etiam in Townebridgiano castello supremam potestatem exercuit. Henricus Cobhamus regulus et multum apud Edvardum Primum auctoritate et gratia valebat, et Dovariensem praefecturam, rege dante, obtinebat, et Johannem Cobhamum suae virtutis haeredem reliquit: hominem et in republica prudentem, et omni virtute praestabilem, et Cobhamiani collegii fundatorem, qui in Roffa et Townebridgeo supremum gessit magistratum. Henrico praefecto, cum Crevicurus et Culpeperius in regem conspirassent, et in Ledani defensione audacter consisterent, eos rex captos in crucem sustulit, et ad castella Ledanum et Townebridgium ruinis deformanda, conceptam ex immanitate facinoris iracundiam convertit. Hujus absentis munus suscepit Johannes Waldersherius eques, cujus filiae Moningis nuptae eorum fortunas auxerunt. Huic proxime

48

successit Robertus Ashtonus eques, qui et inimicis terrori, et suis honori fuit: qui cum et huic castello, et quinque portibus, et universo mari praeesset, et castellanis prospexit prudenter, et mare ab hostibus pacatum reddidit fortiter, et omnia regis negotia summo animo administravit. Huic absentem in magistratu satisfecit Richardus Malmains, summi apud suos nominis vir, qui ab eis originem duxit, quos cum Gulielmo Normanno in hujus insulae dominationem invasisse legimus. Hi ambo, cum ipsius naturae dissolutionem, quam adeo perhorrescimus, essent perpassi, in castelli templo sepulti, ad animi magnitudinem, omnes, qui eis succedunt, quasi vultu et effigie adhortantur. Hoc eam praefecturam gerente, cum Edvardus Secundus, proper Aquitaniae ducatum, in Franciae regis verba juraturus, in Gallias transmitteret, astante Cantuariensi archiepiscopo, cujus in aedibus propter Winghamum haec agebantur, totius Cantiae curam Johanni Cobhamo demandavit. Sed tamen propter navigandi difficultatem, ipse, filio ad id juramentum misso, domum reversus est tum incolumis, sed tamen ex ea missione, et fortunarum omnium et regni amissio est consequuta. Tum fuit Edmundus Woodstockus Cantiae comes Edovardi Tertii patruus, et Dovariensis castelli, et quinque portuum et maris praefectus. Hunc maximo anno per duodecim annos praefecturam gerentem absorbit fatalis quaedam calamitas, non insolita tamen proceribus.

49

Cum enim ei quidam perduellionis crimen intendissent, productus in vestibulum Londonianae turris, cervicem carnifici praebuit. Reginaldus Cobhamus, cui ex suis omnibus Edovardus Tertius detulit plurimum, Dovariensi castro per multos annos praefuit, post tantum hominem tam indigne necatum. Edmundo proximus fuit Bartholomeus Bourgwashus eques, qui cum legationem in Gallias obiisset, in gravissimum incidit morbum, quo pene perierat. Cujus tamen improbitate medicorum studio superata, in praefectura fuit ad trigesimum Edovardi Tertii annum. Tantae praefecturae dignitatem probitatis et virtutis commendatione adeptus est Johannes ex Belliscampo ortus, quem nostri homines Beauchampium appellant. Quem, quod plerosque ejus aetatis homines rerum gestarum gloria superaverat, rex et quinque Cantianis portibus, et universae classis praefecit, et Warwicensis comitatus honore decorabat. Comitatus autem dignitatem posteris tradidit, castelli tamen et portuum et classis praefecturam Roberto Herleo equiti, cum in ea duobus annis fuisset, ita mandante rege, tradidit. Qui magnae apud regem auctoritatis vir, magnae estimationis, cum ad quadragesimum quartum Edovardi annum in ea permanisset, fato concessit.

50

Tum praefecti nomen Edmundo Cantabrigiae comiti, filiorum, qui tum vivebant, quarto, detulit: qui cum in rebus et bellis Gallicis fidelem patri operam praebuisset, ad castellanos, dum ille abesset, sub imperio tenendos, Richardum Spigurnettum equitem delegit. Hunc Edmundum Richardus Secundus Eboracensem ducem creavit, et regnante Henrico Quarto agebat animam. Hunc Richardus, vel ut omnem summi honoris auctoritatem proscinderet, vel quod eum ad majora vocaverat (nihil enim habeo praeter conjecturam) ab eo magistratu dimovit, et Simoni Burleio, quo Robertus Veerius Dublinensis Marchio familiarissime utebatur, et castelli, et quinque portuum et maris praefecturam dedit. Qua injuria Thomas Woodstockus vehementer exacerbatus omnem in ipsum Simonem iracundiam evomuit. Eum enim repetundarum reum a plebe factum, et subtracti a militibus stipendii accusatum, contradicente Marchione, et ipso reclamante rege, Glocestrensis capite mulctari jussit. Mortuum summo cum dolore sui Cantuariam detulerunt, et in aede eorum fratrum, qui nigro apparatu insigniuntur, ad Borealem chori partem sepelierunt. Hujus magna ex parte ad Cantianos

Darellos, qui Cathullum incolunt, hæreditas devenit.

Richardus castelli præfecturam istius morte vacuum Henrico Cobhamo regulo dedit. Hic eo Reginaldo fuit natus, qui Edovardo Tertio erat a consiliis, apud quem autoritate

51

et gratia floruit, a quo in ornatissimum garteriorum equitum collegium erat ascriptus. Qui, cum decimo Richardi regis anno et summum honorem et amplum patrimonium moriens Henrico filio reliquisset, hic vel clarissimi patris memoria, vel virtutum, quibus erat septus ac munitus, commendatione, eam potestatem accepit, ut in manifesto scelere deprehensus, mariscallorum more, in crucem tolleret. Et Dovariensis castelli præfecturam cum Rofensi et Townebridgiana conjunctam ad illud tempus studiosissime gessit, dum in Hibernia ad componendas lites et sedandos tumultus mandato regis totius insulæ legatus proficisceretur. Cum itaque istos magistratus tanto locorum intervallo disjunctos, commode administrare non posset, omne quod in Dovarienses habuit imperium, rege sic jubente, Johanni Bellimontensi equiti tradidit. Hunc et illustrissimi majores et sua virtus commendabat, quod et castelli et maris præfectus, in utriusque administratione summam et prudentiæ famam, et fortitudinis opinionem, est consequutus. Hi duo Burleium non sunt imitati, cum hic legatis nihil fideret, ipse semper in castello resideret: illi regiis negotiis impediti, summis hominibus, quorum probata omnibus erat integritas et fides, omnem potestatem detulerunt. Henricus enim, dum legatione Gallicana impediretur, Johannem Deveroxum equitem, Johannes

52

Bellimontensis, Arnoldum Savagium, ejusdem ordinis hominem, cujus fundi ad Cobhamos regulos pervenerunt, dum illi abessent, omnibus castelli præsidii prospicere rogaverunt. Sed decimo nono Richardi anno Edovardus primo Rutlandiæ comes, tum Albemarlæ et Eboraci dux, supremum, rege sic mandante, in castellum, in quinque portus, in classem, magistratum suscepit. Qui cum eo tempore fuisset, quo Richardus & Henricus de imperio contendebant, etsi erat utrisque eodem cognationis nomine astrictus, tamen quod eum Richardus et honoribus et dignitate ornasset, tantum apud eum grati animi fidelis memoria valuit, ut ad Richardum carcere eximendum cum Holandiis conspiraverit. Quod scelus cum et patris Edmundi precibus et cognationi Henricus concessisset, etsi eum in antiquum locum recepisset, Dovariensis tamen castelli præfecturam alii demandavit. Postea in Agincourtensi prælio, in quo Gallorum opes penitus conciderant, occubuit: et quod ipse sine liberis decesserat, et ducatus et fortunarum omnium hæredem Richardi Cantabrigiæ comitis filium reliquit, qui ex eo ducatu ad totius insulæ imperium evolavit. Hunc, propter eam, quam dixi, conjurationem, ab eo magistratu remotum, sequutus est, Henrico sic mandante, *Thomus Erpinghamus eques, qui in Agincourtensi prælio et sagittariis in vallato campo constitutis signum dedit, & regi ad fudenda eo loco tot Gallorum millia maximum adju-

53

mentum attulit. Qui cum in castellum, in quinque portus, in universam classem, imperium accepisset, octavo ipsius regis anno, omnes castelli tures, omnia ædificia, temporis vetustate diruta, diligentissime inspexit, et, dum ipse abesset, mandatum sibi munus Andreæ Butlerio equiti commisit. Sed tamen rex, ut honoris præmiis filium natu maximum ad virtutem incitaret, habita Thomæ ratione, Henricum filium tum Walliæ principem, Acquitaniæ, Lancastriæ, Cornubiæ ducem, et Cestriæ comitem, illius præfecturæ dignitate ornabat. Qui cum ex ea nihil nisi tam præclaræ autoritatis nomen concupisceret, Richardo Barreio, Cantiano equiti, omnem castelli curam demandavit. Erat iste Henricus, qui, propter summam gloriam ex Gallico bello partam, orbem terrarum nominis sui fama compleverat, in Oxoniensis academia sub Henrici Beaufordi, tum Lincolnæ et post Wintoniæ episcopi et illius academici cancellarii, potestate et tutela constitutus. Hunc Beaufordum, quod erat et Johannis Gandavi filius et regis frater, cardinalem creatum legimus, et post immaturum Henrici Quinti interitum, infante jam rege, universæ reipublicæ administrationem cum Gloucestrensi duce suscepisse.

Sed iste tantis rebus gestis commendatus princeps, cum Humfridum fratrem vehementer adamaret, cum ipse vel sua vel hominum opinione satis diu Dovariensem præfecturam ges-

54

sisset, non modo eam Humfrido fratri dedit, sed etiam moriens, cum cæteris ex partibus oppressa mens, infantem filium et regni gubernationem illius fidei credidit. Quem optime rempublicam administrantem, illius ætatis homines bonum Glocestriæ ducem nominabant. Hic cum et literas et doctos homines summo studio prosequeretur, incredibili benevolentia complecteretur, ut suum de illis vel animum vel iudicium testatum apud omnes relinqueret,

tota Europa ornatissimam apud Oxonienses theologorum scholam suis sumptibus ædificavit. Ac ne paupertate et librorum inopia aliqui in literis inflammati a studiis deterriti discederent, et bibliothecam in illius summitate collocatam, ducentis quinquaginta voluminibus ornaverant, et magnam pecuniæ summam academiæ dedit. Sed hunc tanto populari favore munitum, tanto virtutum præsidio, tanquam mœnibus septum, homo indignissimus eo honore, Gulielmus Delapola Suffolciæ dux, veneficii accusabat, et Margareta regina, quo uno scelere et se, et regem innocentissimum, et universam Lancastriæ familiam perdidit, eum noctu suffocandum curavit. Erat enim tempus, et illucescebat paulo post dies, cum illa, salutaribus tum rebus mota communium temporum immutatis, et amicissime hominis fidem, et viri longe fortissimi animum, et maximæ apud suos autoritatis gratiam desideraret. Post tantum hominem indignissime necatum, ad eam præfecturam gerendam, hi, qui apud

55

Henricum omnia poterant, neminem Jacobo Fineo Saiano regulo, et summo totius Angliæ quæstore, magis idoneum putaverunt. Quem, cum in Gloucestrensis cædem consensisse credebatur, bona pars plebis oderat, quorum exasperatam in eum iracundiam non tulit. Nam cum, instigante Eboracensi cum suis, concitata Cantianorum multitudo scelerata in regem arma commovisset, et duce Johanne Cado omnium fortunis immineret, Jacobum Fineum captum in maxime conspicua Londonianæ civitatis platea mulctarunt. Post quem, quod omnia seditionibus flagrarent, et quod Richardi Eboracensis consilia de regno inita, non obscuro neque vario sermone, sed certissima omnium voce regi deferebantur, Henricus Edmundum Somersettensem ducem, qui ad Lancastrios genus suum retulit, Dovariensis castelli constabularium designavit. Hic et maximi animi et summæ prudentiæ vir, qui in Normannia contra Gallos sæpe fortissime dimicavit, qui Cantianos hostilem in modum seditiones repressit, repressos in officio continuit, qui in seditionibus comprimendis omne studium et operam posuit, dum Eboracensis conatibus resistit ad fanum Sancti Albani a suis occisus jacuit. Hujus summas virtutes, quibus eum natura ornaverant, Gloucestrensis mors, cujus ille vel autor, vel minister, vel adjutor ferebatur, inquinaverat: quem mortuum Henricus

56

acerbissime luxit, et eam præfecturam Humfrido Buckinghamiæ duci, qui Edmundum tanquam fratrem adamaret, propter sententiarum et voluntatum conjunctionem, dedit. Humfridus Staffordiæ comes et Buckinghamiæ dux, qui multum gloria et dignitate præstabat, amici demortui præfecturam suscepit, et constantissimo semper fuit in Henricum regem et animo et voluntate. Quem neque promissorum magnitudo, neque adversæ fortunæ calamitas, neque summa in rebus bellicis pericula a constantia poterant dimovere. Itaque cum ab Henrici partibus staret constanter, et ad Northamptonum pro eo pugnaret fortiter, quanta esset in regem fide, cum vitam pro eo effudisset, indicavit. Itaque quatuor summi homines eadem præfectura ornati acerbissime interierunt. Ego autem ita sum ab opinione constitutus, Gloucestrensis necem cæteris calamitatem attulisse. Nam cum illi, vel quod clarissimi hominis autoritati inviderent, vel ut ipsi solum autoritate et gratia valerent, Gulielmum Delapolam ad summi hominis perniciem concitassent, optimi viri mortem eorum omnium interitu et familiarum ruina Deus vindicavit. Nam Suffolciæ ducem in Dovariensi litore deprehensum, Exoniæ ducis servi capite mulctarunt: cujus nepotes in manifesto perduellionis scelere deprehensi omnes misere perierunt: ut ne vestigium quidem illius pristinæ dignitatis, quæ antea in illa familia splendescebat, aut ullum honoris nomen appareat.

57

Edmundo Somersettensi duci non modo ferro erepta vita est, sed etiam tres illius filios clarissimos homines eadem fati acerbitas oppressit, neque illius domus nomen extitisset, nisi homo dignissimus omni honore Carolus Somersettus Henrici ducis spurium nobilissimam familiam ab interitu vindicasset. Buckinghamiæ dux, cum summæ spei adolescentem filium amississet, et ipse Northamptonense prælium sua cæde nobilitavit, cujus etiam nepotem Henricum a Richardo Tertio interfectum legimus. Neque sic fortunæ acerbitas quievit, sed ad deforandam illam familiam, Thomam Wolseum, hominem indignum ullo honore, indignum luce, concitavit, qui Edovardo Buckinghamiensi optimo duci pestem et perniciem machinaretur, qui ex Staffordiorum familia Buckinghamiæ dux ultimus, Humfrido Gloucestrensi justo persolvit.

Jam vero Jacobus Fineus Saianus regulus et sceleris, quamvis non sine magno reipublicæ malo, pœnas dedit, et ejus posteris, quod sine virili prole discesserant, Saianum nomen Clintonianis regulis concesserunt. Sed ad institutam orationis seriem revertamur: hoc tantum admonitum vellem, unum Galfredum Londreum, et Somersettensi et Buckinghamiæ ducibus legatum fuisse in castro Dorensi.

Henricus, his hominibus, in quibus omnem pæne salutis spem posuerat, interfectis, Simonem Monfordium equitem et castello et omnibus quinque portibus præfecit. Qui cum Sandwicum ad recipiendas navales copias maxime peropportunum judicasset, illud oppidum cum bene magna armatorum manu sibi defendendum statuit. Cujus rei fama cum Warwicensi esset delata, Johannem Dinhammum virum fortissimum ad Simonem noctu circumveniens mittit: qui demandatum sibi a comite negotium summa celeritate perficiens, eum nec opinantem oppressit, et Caletum adductum cum duodecim suæ factionis hominibus Warwicensis securi percussit. Hoc extincto propter seditiosas inter utramque familiam contentiones, ad neminem unum castelli et portuum præfectura devenit: sed cum Cantiani pæne omnes cum Edovardo Broko Cobhamo regulo Eboraci ducibus studerent, Edovardus Guildfordius, Gulielmus Pecheus, Johannes Pimpeus, magni nominis equites, et Gulielmus Darellus armiger summæ apud suos autoritatis, quinque portibus et Cantianis castellis ad Saxtonum prælium prospexerant. Quo cum Edovardus Eboracensis et patris mortem præclare vindicasset, et omnia adversæ factionis capita delevisset, Londinum reversus; cum primum more majorum fuisset consecratus, Richardi Warwicensis dignitatem Dovariensi præfectura adauxit. Iste Richardus Nevilus Warwicensis comes, quo nemo apud nostros

omni laudis genere magis floruit, cujus virtute Britannia cæterarum gentium regibus terribilis erat, patrem habuit Richardum magno Rodolfo Westmorlandiæ comite genitum, et matrem, Thomæ Montacuti Sarisburiae comitis, qui dum Auriolanum obsideret occubuit, filiam. Quem cum duo tanta celebritate avi ad virtutem excitarent et Nevilorum in periculis adeundis fortitudinem, et Montacutorum in rebus bellicis peritiam, et eam, quæ erat in utrisque, magnitudinem animi est consequutus. Hujus fortunas auxit Henrici, qui erat ex Bellicampo, Warwici ducis soror, quæ eo comitatu sibi debito viri nomen illustrabat. Sed cum ad Henricum Sextum regno dejiciendum omne studium contulisset, et suæ hac in re voluntati satisfacit, et Edovardo Quarto ad imperium consequendum maximum adjumentum attulit. Nam cum ad Saxtonum summa utriusque familiæ contentione dimicaretur, et Eboracensibus tantum terrorem Cliffordius regulus incussisset ut jam inclinare pæne totus exercitus videretur, maxima voce, cum eum quo ferebatur equum interfecisset, audiente exercitu, ipso Edovardo astante, juravit se nunquam nisi vicisset in castra reversurum. Cujus et oratione et autoritate concitati milites, et Edovardus confirmatus, Henricum bello victum, regno exuerunt, et debitum Eboracensibus diadema Edovardo tradiderunt. Itaque Edovardus, ut liberalitate et beneficiorum remuneratione recenter adepti principatus initia

nobilitaret, et multos novis honoribus ornabat, et Warwicensi Dovariensem præfecturam dedit. Postea tamen, vel quod illius gloriæ invideret, vel summum in eum populi studium formidaret, ad convellendam illius auctoritatem omnes conatus contulit. Neque fuit ille tanta patientia, ut tam acerbam injuriam posset sustinere, sed vehementer exarsit et summo populari favore ad Edovardi periculum est usus: sed fortuna, quæ nullis semper favet, postremis ejus conatibus illisit. Nam a Clarentiano duce deceptus nequiter, dum ad Barnetum eum, quem constantissime adjuvisset, oppugnaret, dum pro eo, cujus fortunas everterat, fortissime dimicaret, cum Johanne fratre Montacuti marchione occubuit. Hujus legatus Edovardus Guildfordius summam et regi et patriæ operam præstitit.

Sed cum Edovardus et inimicorum ducem interemisisset, et omnes illorum copias delevisset, castelli et quinque portuum et maris regimen Gulielmo Maltreverso Arundelliae comiti credidit. Huic imperatum erat, ut et Cantianos et Sussexiæ accolos in officio contineret, quos propter concitatam a Fauconbrigii spurio seditionem efferatos, tum verborum æquitate, tum pœnarum gravitate repressit. Huic maxime a consiliis fuit Edovardus Cobhamus regulus,

quo suasore, Edovardus Quartus in restaurandis castellanis ædificiis decem millia argenti pondus insumpsit, cujus ædificationis curam Edovardo Cobhamo credidit. Hic ad Henricum Septimum in eo magistratu fuit, quo absente, multi legati rerum castellanarum administrationem susceperunt. Nam et Edovardus Cobhamus eam sibi honoris causa demandari voluit, quo mortuo, illius curam Johanni Scotto equiti Arundellius credidit; quo sublato, Johannem Deveroxum equitem eidem muneri præfecit: quem sequutus est Philippus Fitzludovicus, cujus nepos Georgius, cum Jacobo Darello equiti serviret, ei ad Turwinum militanti, non modo fidelem operam præstitit, sed eum in discrimen salutis adductum conservavit. Sed cum Arundellum a rebus gerendis senectus, a senectute mors, avocasset, nemini uni eam præ-

fecturam Henricus commisit: sed Gulielmo Scoto equiti omnibus castellanis negotiis et quinque portibus, dum ipse hominem tanto muneri idoneum nactus esset, prospicere imperavit. Qui ad paulo maturiorem Henrici tum Eboraci ducis ætatem illud munus fortissime gessit: qui cum eum magistratum a patre traditum, summæ spei adolescens, suscepisset, Gulielmo Scoto vel promisit, vel ab eo impetravit, ut eis omnibus suo nomine imperaret. Sed cum illius dignitatis nomine per quinque annos fuisset ornatus, quod, mortuo Arthuro fratre, ad Walliæ principatum vocaretur, antiqui honoris insignia Jacobo Fineo regulo Saiano reliquit. Qui ex ea familia natus, quæ multos castelli constabularios produxit, cum per triennium et castellum prudentissime conservasset, et quinque portibus studiosissime

62

prospexisset, et Rodolfo Tucko præstantissimo viro sibi legavisset, moriens animam Christo, fortunas Clintoni, præfecturam regiæ voluntati commisit. Henricus ejus nominis Octavus, quod eum pater suus illius præfecturæ titulis ornaverat, summum aliquem hominem illustrissimis majoribus ortum, multis virtutibus septum, eo honore decoratum volebat. Ac cum, usu sic comprobante, neminem Arthuro Plantageneta, Lisleo vicecomite, aut propter patris claritatem (eum enim Edovardus Quartus illegitime genuerat) aut propter exaggeratam in eo omnium virtutum excellentiam, magis commendari, eum, propter illustrissimi patris memoriam, stavit promovendum. Quem ut summæ virtutes commendabant, ita summa, quam in castellanis rebus posuit, cura effecit, ut absens adesset, mortuus viveret. Hic cum ex omnibus hominibus Dudleios faceret plurimi (nam Johannem Dudleium de cujus virtutibus alius dabitur magis opportunus dicendi locus) et nominis et fortunarum reliquit hæredem, ex Dudleis unum suum in castello legatum habuit. Hunc sequutus est Edovardus Poyningus eques, qui cum in Geldria mandato regio militaret, clarissima fortitudinis, cum apud Hibernos prorex esset, magnæ prudentiæ testimonia edidit. Nam et hostes in Geldria magno animo stravit, et silvestres Hibernos ad seditionem natos in pace continuit, et eas leges promulgavit, quæ temporibus nostris propter æquitatem optimarum legum habent auctoritatem. Gulielmus Copeldecus, Edovardo absente, in castello defendendo,

63

dendo, in portibus tuendis, fidelem operam præstitit. Sed cum Henricus rex Poyningum in Hiberniam misisset, voluit Henrico Fitzroio Richmondiæ duci Dovariensis castelli curam committere. Cum Henricus rex Elizabetham Bluntum Johannis nobilissimi equitis filiam, perditæ adamaret, ex ea summæ indolis puerum genuit: et eum Fitzroium, id est, regium filium appellari jussit. Quem sex annos natum eo die et Nottinghamiæ comitem et Richmondiæ et Somersettiæ ducem creavit. Et paucis post annis, cum Poyningum in Hiberniam misisset, ejus nomen Dovariensis castelli præfectura et quinque portuum regimine illustrare voluit. Sed cum id ætatis puer ad tantum onus gerendum parum aptus videretur, Arthurum Plantagenetam, qui in sua Caletana præfectura commorabatur, Richmondiæ ducis nomine voluit Dovariensi castello imperare. Hunc Arthurum fidei semper in regem et animo et voluntate, cum in eo ipso castello supremum magistratum summa cum laude gessisset, et pro Richmondiæ duce omnium opinionibus satisfecisset et Caletti præfectus conceptam de eo probitatis opinionem superasset, iniquæ calumniarum hominum delationes depresserunt ad calamitatem. Nam cum eum rex multis criminibus accusatum carceri tradidisset, cum objecta in eum crimina diluisset, summum, quem ex accusatorum iniqua oratione dolorem concepit, æquo animo ferre non potuit, itaque mœrore animi confectus, excessit e vita. Post quem, ne castellani sine duce relicti impune grassarentur, Richmondiæ dux eis Edo-

64

vardum Guildfordium præfecit, majoris postea venturæ auctoritatis præsagium, Henricus enim Richmondus paucis post diebus obiit, in cujus demortui jecore omnia manifesti veneni indicia extiterunt: qui, diutius si vixisset, summam spem, quam de eo homines concepissent, et adolescens et vir superasset. Henricus rex, cum dolorem ex immatura filii morte conceptum tempus aut detraxisset, aut imminuisset, Edovardo Guildfordio eam præfecturam, quam demortui filii auctoritate possidebat, regiis literis confirmavit. Hic eo Richardo natus, qui, Henrico Septimo regnante, regiæ domui præerat, propter summum in castello gubernando animum, propter nobilitatem, et in portibus muniendis prudentiam, propter egregiam in regem fidem, propter inauditam in patriam charitatem, propter incredibilem in omnes liberalitatem, tantam nominis celebritatem peperit, ut de illius divinis virtutibus nulla posteritas conticescet. Sed eum ad summam gloriam, ad maximos honores, et virtute et rebus gestis nitescentem, immatura quædam mors oppressit: cum enim venaturus de equo cæcidisset, non longo post tempore expiravit. Cuius morte rumore hominum divulgata, flebant sui, graviter ingemiscebant sui, et Cantiana plebs, extincto communi parente, acer-

bam fati calamitatem verborum contumeliis prosequerentur. Hoc praefecto, Gulielmus Copeldecus castelli legatus obiit, et in Luciano templo praecclare conditur. Quo extincto, Richardum Deringum, maximi consilii hominem, virumque fortissimum, ad illud munus

65

suscipiendum evocavit. Quem et justitia clarum et populo probatum et omnibus charum audeo dicere. De quo plus dicerem, nisi ejus maxima in me beneficia (nam in me educando multum operae posuit) testimonio detraherent auctoritatem. Hic, quod eum magistratum, quem a Guildfordo acceperat, praecclare gesserat, ab Henrico Octavo regiae aedificationi, quae Georgio Rochefordii vicecomiti fuit commissa, praeficiebatur. Ac cum ab Edovardo Sexto tantum, absente praefecto, in castellanos et quinque portus imperium exerceret, ab eo Sandowniani castelli, non longe a Dalo positi, ab Henrico Octavi fundati, praefecturam, summam in regii negotiis et fidei et benevolentiae praemium accepit. In qua, cum per sexdecim annos ita se gessisset, ut et regi et castellanis omnibus gratissima illius esset integritas, et fides, quod ei jam seni in otio esse expediret, summa voluntate castelli curam reliquit: et ad Plucleium, ubi primum de caelo spiritum duxerat, morbo atque aetate confectus, migravit e vita, et eodem in loco, ubi ejus majores, sepelitur.

Sed ut, unde egressa est, revertatur oratio: Guildfordo sic casu et morbo interfecto, Georgius Bullenius Rochfordii vicecomes summum in castellanos magistratus omnes et quinque portus suscepit imperium. Qui cum, ibi astantibus totius Cantiae primoribus, inauguraretur, solemnibus ceremoniis, quae ad eam inaugurationem pertinebant, finitis, in epulo

66

dando, in omnium rerum, ex quibus ulla delectatio aut jucunditas capitur, apparatu et copia, ipsius Luculli magnificentiam aemulabatur. Huic ad istius praefecturae petitionem, cum vitae merita et res praecclarissime gestae suffragarentur, tum praecipue apud regem Annam reginam contententes pro fratre preces valebant. Sed in medio cursu fractus corruit, et priusquam portum conspiceret potuit, adversae fortunae tempestatibus oppressus, et a rege concessos honores amisit, et vitam et sanguinem in conspectu totius populi effudit. Quo ita sublato, Henricus rex Thomam Cheineum, qui regiae domui praerant, homine omni laude dignissimum, et castello et quinque regiiis portibus praefecit. Qui propter prudentem castelli et portuum gubernationem ab Henrico rege colebatur, propter summam in rebus bellicis fortitudinem, in civilibus prudentiam, ab his, quibus propter regiae aetatis imbecillitatem, et Edovardi regis tutela, et regni moderatio commissa fuit, summo honore afficiebatur, et in Marianis temporibus (etsi ipsius reginae voluntatem susceptum religionis patricinium a clarissimo viro alienaverat) cum jam senesceret, et eum provecata aetas a rebus bellicis abstraheret, pacatissimo castello in pace sic praefuit, ut et reginae et omnibus se probaret.

67

Quem jam triumphantem, cum illustrissimae reginae Elizabethae principatus initio conspexisset, attulit vel subita inopinatae rei laetitia vel ipsa senectus homini mortem. Nam paucis antequam regina inauguraretur diebus, lateris dolore est consumptus. Quem extinctum omnes Cantiani summis studiis prosequuti sunt, incredibili benevolentia complectebantur.

Postquam Richardus Deringus Sandowniani castelli curam suscepisset, Thomas Cheineus, eam potestatem, quam in Dovarienses habuit, Johanni Moringo commisit. Qui honesto apud suos loco natus, cum commissum suae fidei munus ad tertium Mariae annum probe administrasset, in ipso castello obiit, et in Dovariensi templo sepelitur. Quem sequutus est Gulielmus Crispus, ornatissimus vir, quem cum Thomas Cheineus propter summam in eo probitatem fecisset plurimi, illum eo honore potissimum putavit illustrandum. Qui in eo magistratu et eam fidei et diligentiae opinionem quam de eo Thomas conceperat, longe superavit, et Gulielmi Cobhami, qui nunc praest, expectationi satisfacit, et de sua in pauperes clementia, in egentes liberalitate, in omnes justitia, signa omnibus conspicienda proponit.

Post Thomae Cheinei mortem rumore hominum divulgatam Elizabetha in hanc opinionem descendebat, maxime regiae majestati convenire, homines honoribus dignos ad magistratus gerendos promovere. Itaque cum multorum in se officia considerasset, et consentientis

68

populi de summorum hominum virtutibus iudicium investigasset, neminem ex omnibus reperiebat, qui Gulielmo Cobhamo aut eam constantius coluerat, aut de cujus virtutibus magis nota essent universi populi suffragia. Itaque cum neque sibi neque suis satisfacere potuisset, si quenquam alium Dovariensi castro et portibus praefecisset, eum, approbantibus omnibus, castelli constabularium et portuum custodem pronunciavit, eamque pronunciationem publicis

regiis literis confirmavit. Qui, ut semel virtutis suæ præmium suscepit, et flagrabat studio rei militaris, et bonarum disciplinarum amore exardescebat, et omnes, in quibus erat vel aliquid ingenii vel literarum colebat, et sceleratos et impios pœnarum acerbitate in officio continebat. Illa vero admirabilia sunt in illo homine, ut et tristium severitatem, et remis= sorum jucunditatem, et senum gravitatem, et adolescentium comitatem, sit consequutus: quæ nequaquam tantam populi admirationem excitarent, nisi hæc virtutum tam exaggerata magnitudo quibusdam facilitatis et clementiæ laudibus niteretur. Qui, ut diu cum summo homine Gulielmo Crispo legato suo, et illustrissima Regina, a qua eam dignitatem accepit, vivat, Deum optimum maximumque precor!

T E L O S.

<This is the Latin text, as it was printed in 1786. It is slightly garbled in places, but I have not tried to put it right: the sense is clear enough. – C.F. June 2010.>